Fragmentarium

impossibile est eis dicere quod quanto magis superficies fuerit maior tanto magis corpus compositum erit gravius. Nam hoc impossibile est omnino. Qui autem componit corpora ex corporibus indivisibilibus habentibus tres divisiones possibile est eis dicere quod corpus maius est gravius. Sed hoc non potest dici quod corpus maius est gravius nisi in primis corporibus simplicibus; in compositis autem non. Corpora enim composita videntur esse gravia et levia secundum hunc modum. Videmus enim corpora parviora aliis s. v. magis ut cuprum et lana.

Cum narravit quod causa dicta ab istis in levitate et gravitate non est gravitas et levitas que sunt simpliciter per opinionem dicentis esse ea superficies, et secundum opinionem dicentis ea esse corpora indivisibilia, et narravit quod impossibilia consequuntur ex hoc, et quod non possunt reddere perfecte causam gravius et levius secundum comparationem scilicet in compositis, incepit demonstrare istas duas sectas in quo differunt in dando causam gravitatis et levitatis secundum comparationem in ipsis et dicentes ea esse corpora indivisibilia possunt reddere causam gravitatis et levitatis ipsorum et levitorum secundum comparationem licet non possunt in compositis. Dicentes autem superficies neque in corporibus neque in simplicibus possunt dare causam. Et ideo opinio de corporibus indivisibilibus magis est conveniens nature. Ponunt enim ea diversa in quantitate. Propter quam possunt dicere quod quedam horum corporum scilicet maiora sunt graviora quibusdam scilicet parvis quoniam corporum que sunt eiusdem nature maiora sunt graviora minoribus. Set cum quesitum fuerit ab eis quare quedam composita parva sunt graviora quibusdam magnis nichil possunt dicere. Composita enim parva componuntur apud eos ex partibus minoribus et sunt leviora. Isti igitur possunt dare causam gravitatis secundum comparationem simplicibus sed non in compositis. Dicentes autem superficies esse neque in simplicibus neque in compositis. In simplicibus quidem possunt dicere quod magna superficies est gravior parva sicut illi possunt dicere quod corpus magnum est gravius parvo. Intelligibile enim est ut secundum diversitatem corporum diversetur gravitas; secundum autem diversitatem superficierum non est intelligibile causam gravitatis non dicat de superficie. Hoc igitur est summa istius capituli. Et dixit: dicentium vero corpora esse composita ex partibus indivisibilibus. Dicentes enim ea esse triangulos dicunt partes esse indivisibiles in composito quia trianguli non dissolvuntur in aliquid sed alie superficies dissolventur in eos. Deinde dixit componentium corpora ex superficiebus, i. dicentes autem quod ea sunt trianguli non possunt specificare omnino has superficies dicendo quod quedam eorum sunt graviores quibusdam. Itaque possent dicere quod corpora levia componuntur ex superficiebus levibus et gravia ex gravibus. Deinde dixit qui vero componit corpora ex corporibus indivisibilibus etc., i. qui autem componit corpora ex magnitudinibus habentibus tres mensuras indivisibiles possunt dicere quod quedam corporum indivisibilia sunt graviora quibusdam quoniam sunt maiora eis et propter hoc possunt dicere quod corpora composita ex eis gravia simpliciter sunt ex partibus magnis et levia ex magnis parvis. Deinde dixit: In corporibus autem compositis nichil possunt dicere, scilicet quare quedam corpora composita gravia sunt graviora quibusdam, sicut hoc non possunt dicere dicentes superficies. Deinde dedit causam in hoc et dixit: videmus enim quod corpora composita sunt gravia

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 45, fol. [23]v – Aristoteles, <i>De caelo</i>, with commentary by Averroes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tq1r/9563/70265)